



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 27. Sacratum Congregationum decreta & decisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Augusti ejusmodi electionem, cuncta- Sæc. XVIII.
 que hanc in rem gesta damnavit, nul- A. C. 1709.
 laque esse declarans Episcopo intermi-
 natis pœnis Ecclesiasticis inhibuit ne
 ullo pacto sese in administrationem
 Abulensis Ecclesiæ immisceret, sed in-
 terim ejusdem Ecclesiæ Vicarius Capi-
 tularis eam gubernaret. Huic Pon-
 tificis mandato Episcopus illico morem
 gessit, & quamvis Abulensis Ecclesiæ
 regimen ei a laica potestate fuisset de-
 mandatum, illud tamen nulla mora
 dimisit, propterea a summo Pontifice
 die septima Martii anno sequenti pater-
 nis commendatus literis, denique die
 vigesima secunda Maij confirmavit Pon-
 tifex erectionem novæ Congregationis
 Benedictinæ in Polonia sub invocatio-
 ne S. Crucis.

§. XXVII.

*Sacrarum Congregationum decreta
 & decisiones.*

Inter varia SS. Congregationum decreta Bullar. magn. Clem. XI. part. 2. pag. 448.
 hoc anno die vigesima sexta Janua-
 rii Sacra Congregatio negotiis Regu-
 larium præposita statuit, ut deinceps
 expensæ pro Sacristia &c. ex Monasterii
 redditibus fiant, & omnes, ut vocant,
 census vitalitii, quos Moniales habent,
 ad commune ærarium reponantur, Mo-
 naste-

Sæc. XVIII. nasterii autem Præposita cunctis Monialibus de necessariis provideat. Die A. C. 1709. decima tertia Novembris injunctum omnibus Superioribus, ut per idoneum Virum Regularem singulis diebus Dominicis in quolibet Conventu Laicis & præcipue Quæstoribus Doctrinam Christianam, Catechismum Romanum, & quoddam Regulæ punctum explicarent. Eadem S. Congregatio die secunda Augusti declaravit, quod Patres reformati S. Francisci, si cadaver committantur ad propriam Ecclesiam, non possint incedere sub propria Cruce, sed sub illa Ecclesiæ Collegiatæ, quando Canonici incedunt Capitulariter, die vero sexta Septembris decisum, quod si a Capitulis Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum vel etiam a Regularibus, aliisque locis piis & Confraternitatibus nocturnæ fiunt processiones vel ratione festorum, quæ in Ecclesiis Monialium celebrantur, vel aliarum functionum Ecclesiasticarum, tunc Ecclesiæ Monialium non remaneant aperta de nocte, sed Episcopi jubeant eas claudi sub hora Salutationis Angelicæ serotinæ.